



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. III. De iis quæ in deliberationem cadunt.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

*Cur autem qui ignorantiam juris prætexunt venia digni non judicantur?*

Quia omnes homines jus & divinum & naturale debent novisse. Idcirco Ethnici minime excusandi sunt, quod deorum multitudinem finxerint. Similiter nec Papistarum errores plurimi excusandi sunt.

*Sed quæ per iram aut cupiditatem fiunt, suntne illa voluntaria?*

Sunt omnino. Si enim à nobis invitis fierent, molestiam adferrent & dolorem: Sed hoc non fit. Igitur nec illud. Assumptum patet, quia quæ ita fiunt plerumque oblectationem habent.

CAP. III.

De iis quæ in deliberationem cadunt.

*Quid est Electio?*

Est appetitio eorum quæ in nostra sunt potestate cum antecedente deliberatione. Sic Constantinus re deliberata bellum affini & confœderato Licinio intulit, eo quod exerceat sævitiam in Christianos. Joseph præcedente deliberatione abstinuit ab uxore domini sui.

*Quæ igitur res cadunt in deliberationem?*

Ea tantum quæ in nostra sunt potestate ut eveniant: ubi excluduntur æternæ, item necessariæ, naturales & fortuitæ.

*Consultandumne etiam de artibus & scientiis?*

Sicertæ omnino sint, frustra de iis consiliū capitur, quales sunt litteræ. Sed quæ min⁹ perfectæ sunt, & in dubium aliquando veniunt, cæ cadunt in deliberationem.

*Ecquid & finis in deliberationem cadit?*

Non sané, sed ea quæ ad finem spectant. Sic Medicus non consultat an curet, nec orator an persuasurus sit.

## CAP. IV.

## De Fortitudine.

*Ahuc generalia fuerunt de virtutibus earumque actione voluntaria; deinceps igitur ut ad speciem progrediamur: dic quenam sunt simplicium virtutum moralium genera?*

Duo: aut enim elucet in actionibus animæ irascentis, ut in regendis affectibus: aut animæ concupiscentis, ut in refrenandis cupiditatibus.

Illarum princeps est fortitudo: harum vero temperantia.

*Quid est fortitudo?*

Fortitudo est virtus in rebus terribilibus-nimosos nos reddens.

Cicer. Off. 3. Fortitudo est virtus dolorum, laborumque contemptrix.

*Quodnam est subjectum fortitudinis?*

Verfatur circa res arduas atque terribiles, ut nulli neque animæ perturbationi, neq; fortunæ succumbamus.

*Ergo fortis quoque habendus, qui se imperterritum prestat in perferenda paupertate, morbo,*

*& aliis pertimescendis?*

Similitudine quadam & improprie potius quam veré fortis dici potest.

Circ